

DE CORDIS POLYPIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA UNIVERSITATE LITERARIA

TURICENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE
OBSTETRICIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXV APRILIS ANNI MDCCCXXXV

PUBLICICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

IOANNES LEONHARDUS WEHRLI

HELVETO-TURICENSIS.

TURICI

TYPIS ORELLII FUESSLINI ET SOCIORUM.

MDCCCXXXV.

DE CORDIS POLYBIS

DESSERTATIO DE VITAE

DE CORDIS POLYBIS
CHALMERS ANDERSON M.D.

ALBA UNIVERSITATE

THOMAS

1871

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTIBUS
DESSERTATIO HONORIS

DE VITA ANIMAE

DESSERTATIO

ALBA

DESSERTATIO HONORIS

DESSERTATIO

THOMAS

DESSERTATIO HONORIS
DESSERTATIO

**VIRO EXPERIENTISSIMO, CLARISSIMO,
DOCTISSIMO**

HENRICO LOCHER-ZWINGLI

**MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORI,
IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE TURICENSI CHIRURGIAE
ET CLINICES CHIRURGICAE PROFESSORI P. E.**

PRAECEPTORI, FAUTORI

HASCE LITERARUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

VINO KAPREKENTISSIMO CLARISSIMO

DOCTISSIMO

HERNICO FACCHER-NATURALI

HERNICO FACCHER-NATURALI
HERNICO FACCHER-NATURALI
HERNICO FACCHER-NATURALI
HERNICO FACCHER-NATURALI
HERNICO FACCHER-NATURALI
HERNICO FACCHER-NATURALI
HERNICO FACCHER-NATURALI
HERNICO FACCHER-NATURALI
HERNICO FACCHER-NATURALI
HERNICO FACCHER-NATURALI

BRACCETTORE, FATTORI

BRACCETTORE, FATTORI

BRACCETTORE

Permulta licet in medicina contineantur, quum diligentiore digna indagatione, tum dissertationibus conscribendis maxime idonea, tamen, quum rem aliquam accuratius investigaturo longius temporis spatium, quam quod Doctoris honores capessentibus concedi solet, suppetat necesse sit, tales plerumque ab illis materiae tractantur, quibus iam alii plus minusve lucis attulerunt. Quod quidem mihimet ipsi accidit. Itaque nonnisi temporis angustiis coactus, de cordis polypis pauca disserere constitui, ab initio scripturus de pneumonia Alpina sive Alpestri, qui morbus, utpote endemicus, medicorum animos hoc demum tempore denuo ad se convertit, dignissimus sane, qui quum ab omnibus Helvetiae, tum a parvorum pagorum montanorum, in quibus ille perniciosissimus saepe apparet, medicis penitus cognoscatur. De quo quidem morbo scribendi consilium, ab aliis bene mihi volentibus admonitus, ut dissertationem conficerem, antequam a Turico discederem, mutavi argumentumque elegi de cordis polypis, quod breviori tempore absolvi posset. Qua de re quamquam iam multa scripta sunt, tamen tantum abest, ut ea satis illu-

strata sit, ut potius conturbata et novis tenebris obducta appareat. Quam equidem diligentissime perscrutatus, conscribenda summa eorum, quae studiis meis de polypis cordis didici, hic illic aliquid lucis huic morbo afferre conabor. Quod ubi mihi non contigerit, ne nil profecisse, sed tantum librorum de eo morbo scriptorum copiam auxisse videar, magnopere vereor.

Viris autem clarissimis, Dr. de Pommer et Locher-Balber, Professoribus medicinae, pro subsidiis, quibus me adiuverunt, quam maximas gratias persolvo.

Medio saeculo XVI, ubi ipsorum quoque humanorum cadaverum anatomia excoli a medicis incepit, intelligentibus, sectionibus maximam morbis lucem afferri posse, primum, qui essent cordis polypi, clare intellectum esse videtur. Nam quae de iis Galeno adscribitur notitia minima et vix suspicatio habenda est. Prima de cordis polypis indicia in scriptis Vesalii et Benivenii proferuntur. Sed brevi duae sententiae medicos distinuerunt, disputantes, an revera existerent cordis polypi. Iam igitur plures illorum polypos cordis nonnisi sanguinis coagulationes esse inter ipsam vel post mortem se conformantes docebant. Quorum quidem principes Licutaud *) et Ios. Pasta **) surrexerunt. Ille, unus e praeclarissimis, qui tum Parisiis vivebant, medicis, defensores cordis polyporum stolidos dictitabat, ea quidem solummodo causa, quod sibi plus tria millia cadavera secanti ne unus quidem casus occurreret, ubi in cordis ventriculis quidquam invenerit praeter solam sanguinis coagulationem. Ingeniosior et acutior, qui doctrinam de cordis polypis paene evertit, adversarius exstitit Ios. Pasta. Is illorum propugnatoribus haecce tria opponebat:

I. Sanguinis fibrina post mortem et vel extra corpus in eandem solidam massam coagulari potest, quam qualis

*) Licutaud: Précis de la médecine pratique, à Paris 1761.

**) Ios. Pasta: De sanguine et sanguinis concretionibus per anatomem indagatis. Bergami 1786.

cordis polyporum substantia esse dicitur. — Quam quidem sententiam Pasta eo fulcire studuit, quod placentam sanguinis identidem aqua abluebat, quo facto in eius superficie prorsus alba, saepe tendinosa filamenta et interdum solida membrana conformabantur. Ea massa semper in superiore parte apparebat, quod experimentis non solum hominum moribundorum mortuorumque, quos ille vario modo locabat, sed etiam canum, quos suspendebat, factis clare demonstrabat. Inde Pasta diversam ita dictorum cordis polyporum sedem nonnisi e situ inter moriendum multipliciter commutato et e vario spatio cordis ventriculorum proficisci coniecit.

II. In cordis polypis sanguinis vasa nondum detecta sunt, per quae illi animari et nutriri possint. Nam qui dicant, se talia vidisse, ut Dimmerbroek, Manget, Lower, eos Pasta dicit a Morgagnio et Malpighio refelli, quaeque illi vasa ducant, non esse nisi canaliculos defluxu partium sanguinis fluidarum elutos.

III. Tertiam et eam gravissimam causam negandi, cordis polypos vivos in hominibus existere, in eo positam esse Pasta putat, quod, quum cordis ventriculus existente polypo ad brevius spatium redigatur, ad vitam sustinendam cor dilatetur necesse sit, cuius quidem rei a plerisque cordis polyporum defensoribus mentio aut non fiat, aut, ubi facta sit, non discernatur, utrum cordis dilatatio malum primum an secundarium sit.

Quibus oppositis cordis defensores polyporum, quorum principes erant Borsieri, Bartolleti, Tulpius, Kerkring aliique, plane victi sunt. Posterioribus demum anatomiae pathologicae progressionibus accuratioribusque illius morbi explorationibus factum est, ut cordis polypis inter morbos cordis locus concederetur. Tunc enim Burns surrexit qui sanguinis vasa in cordis polypo, in quo iam pus se

conformaturum erat, inesse demonstrabat. Non ita multo post similes observationes secutae sunt *). Friedr. Hoffmann, Wichmann aliique plures in vivis hominibus cordis polypos, qui, absentibus omnibus aliis morborum causis, symptomata morbosa et mortem ipsam procreare possint, occurrere comprobaverunt. Hoc tandem nostro tempore polypos cordis inter vitam hominis existere nemo facile negabit.

DE CORDIS POLYPORUM NATURA.

Inde, quod cordis polypos inter vitam esse Lieutaud et Pasta negaverant, factum est, ut illi in falsos et veros, non solum tempore, quo oriuntur, verum etiam physicis et chemicis signis inter se diversos, dispescerentur.

Falsi cordis polypi nonnisi in moribundis vel nuper mortuis enascuntur et eo internoscuntur, quod substantiam habent magis gelatinosam, tremulam, facilem ad conterendum, plerumque in cordis ventriculis libere et solute natantem, fervida aqua solubilem, quae nonnisi coagulum sanguinis est, e lympa facile coagulante constans. Falsi hi, qui etiam dicuntur cadaverosi polypi, sanguinis vasis carentes, plerumque in dextra cordis parte inveniuntur, propterea quod ibi sanguis facilius quam in sinistra coagulatur. Ceterum hi polypi in medicina nonnisi quoad diagnosin verorum cordis polyporum quodammodo graves sunt.

Veri cordis polypi, vel de Haensio **) dicti polypi antiqui, iam in vivo homine oriuntur. Verorum autem

*) Meckel, Handbuch der pathologischen Anatomie. Leipzig 1818.

**) De Haens, ratio medendi, tom. II.

polyporum nomine comprehenduntur omnia corpora aliena, quae in cordis ventriculis existunt et conformantur. Quae corpora diversissima inter se esse, iam e falsa morbi definitione dilucet, dum proprie polypi habendi sunt ea solum in cordis ventriculis corpora, quae pluribus pedibus (radicibus) internae cordis membranae adhaerent. Qua quidem significatione illud nomen etiam revera ad polypos in membranis mucosis denotandos usurpatur, quamquam hos inter polyposque cordis similitudo nulla intercedit, iam propter habitum internarum cordis membranarum, de quarum textura adhuc non convenit viris doctis, aliis serosam, aliis teneram tunicam cellulosaam eam putantibus. Sunt vero etiam polypi cordis partim ratione, qua oriuntur, a polypis in membranis diversi. Veri polypi cordis differunt:

I. *Sede.* Aut libere in cordis ventriculis natant, plerumque sphaeroidei, et saepe in interiore parte cavi et liquore lymphae simili repleti sunt — a quibus polypis morbos paucos progigni censent. — Laennec *) eos nominat *végétations globulaires*; — aut, quod plerumque accidit, in cordis parietibus vel valvulis cum una vel ambabus extremitatibus per unam pluresve radices, qui plerumque ab interna membrana cordis, saepe etiam a musculis papillaribus et trabeculis carneis difficillime vel plane non dissolvi possunt, concreverunt. Veri cordis polypi plerumque in sinistra cordis parte conspiciuntur et saepe numero usque in vasa porriguntur.

II. *Structura.* Plerumque corpora sunt solidissima e fibrina constantia **), — nonnunquam — unde cordis po-

*) Laennec, de l'Auscultation, tom. II.

**) Nequaquam satis adhuc operae impensum est cognoscendae cordis polyporum naturae, cuius differentiam ex diversitate

lypos gradatim formari patet — e lamellis commune centrum habentibus composita, quae interdum magis cellulosa, interdum tenaciora et solidiora, interdum cava et in cavitate lympham; saepe adeo pus verum retinentia, non raro propria tunica obvelata, et propriis sanguinis vasis praedita apparent.

III. *Colore.* Veri cordis polypi plerumque albi vel ex albo flavi sunt, quamquam etiam purpurei et saepe, ut in ictericis, plane flavi observantur.

IV. *Magnitudine et pondere.* Hac in re valde inter se differunt. Etenim saepe minimi sunt et tuberculosi, iidem vero magis coacervati — quales auctore Nassio *) praecipue in apice sinistri ventriculi cordis, ubi cum interna membrana concreverunt, inveniuntur — saepe autem tanti, ut cordis ventriculum paene expleant et interdum adeo ultra eum porrigantur. Eorum pondus ab aliquot granis ad plures uncias differt.

Corvisart **) tria cordis polyporum genera constituit, quorum primum polypos ante mortem ortos, fibrosam structuram habentes et plerumque cordis parietibus adhaerentes; alterum polypos inter moriendum sese conformantes, magis e coagulante lymphā constantes; tertium denique polypos post mortem apparentes, plerumque libere in cordis ventriculis se moventes, vel cordis parietibus tantum adhaerentes complectitur.

Veterum medicorum imaginatio cordis polypos vera animalia, in cor se immordentia hominemque infandis crucia-

eorum originis declarari posse equidem mihi habeo persuasissimum.

*) Archiv für medizinische Erfahrung; von Dr. Horn, Nasse und Henke. Jahrgang 1818, Juli und August. Berlin.

**) Essai sur les maladies et les lésions organiques du coeur et des gros vaisseaux. Paris 1818.

tibus afficientia fingeat. In Boneti Sepulchreto anatomico, tom. I, lib. I, II, duo huius generis casus enarrantur, alter a Drelinkourtio, alter a Maio sub titulo: Historia anguis bifidi. Ad quos errores illi partim forma cordis polyporum, partim aegrotorum sensibus, quos interdum tanquam a talibus animalibus proficiscentes describunt, abducti esse videntur. — Caeterum haec pars doctrinae de cordis polypis, praesertim quod ad chemicas eorum substantias attinet, clariore adhuc luce magnopere indiget.

DE CORDIS POLYPORUM GENESI.

Postquam viri docti, an veri cordis polypi existerent, disputare desierant, nova de eorum genesi inter vitam hominis controversia excitata est. Totius rei cardo vertebatur in eo, utrum cordis polypi essent morbus idiopathicus an nonnisi secundarius. De qua re duae praecipue partes sententias suas comprobare studebant. Altera pars, cuius principes Fr. Hoffmann *), Haller **), et praesertim Wichmann ***) erant, sicuti tempore recentiore Hope †) aliique plures, cordis polypos idiopathicum morbum censent eosque ita conformari dicunt, ut placenta sanguinis, praecipue fibrina, a fluidis sanguinis partibus secreta, cordis polypus genere quodam crystallisationis oriatur et tum saepissime cum cordis parietibus irritatis concreseat et organicus fiat. — Altera pars eaque recen-

*) Fr. Hoffmann, systema medicinae rationalis, tom. III, sectio I, cap. VII.

***) Haller, Elementa physiologiae, tom. V, sect. I.

****) Wichmann, Ideen zur Diagnostik, Bd. I. Hannover 1808.

†) Hope, über die Krankheiten des Herzens und der grossen Gefässe; übersetzt von Becker. Berlin 1833.

tior, cui inprimis Testa *) et Kreisig **) duces sunt, idiopathicam cordis polyporum naturam negant eosque tantum ut morbum secundarium inflammatione internae tunicae cordis ex carditide, quae dicitur polyposa, proficisci putant.

Quum utraque pars, quae in hac re vera sint et recta, non perspexerint, via inter utramque media optima, quam ingrediamus, nobis esse videtur. Etenim cordis polypus et primarius et secundarius morbus esse potest. Ut primarius morbus evadat, variis causis efficitur:

I. Necesse est, ut, sanguine sano, cordis ventriculus vel eius exitus plus minusve coarctatus sit.

II. Necesse est sanguis admodum plasticus sit. Iam vero interdum neutra earum causarum efficiente polypi geniti sunt. Itaque altera genesis cordis polyporum praeterea statuenda est, non vero ea, quam Kreisig statuit, utpote adversus quam plura afferri possunt: 1) quod complures homines in quibus cordis polypi inventi sunt, iam in proveciore itaque minus ad inflammationem proclivi aetate erant; 2) quod interna membrana cordis rarissime in statu inflammatorio deprehensa est, et ubi deprehensa est, quaeritur, annon haec inflammatio secundaria irritatione cordis polyporum, utpote alienorum corporum, effecta sit.

III) Ubi cor vel vasa sanguinis in degenerato habitu observata sunt, cordis polypos continuo chronico processu inflammatorio ortos esse non probatum est, et in his quoque casibus facile duplex genesis declarari potest:

a) In aneurismatico cordis vel vasorum magnorum statu sanguis facile stagnat, quoniam eius effluxus coar-

*) Testa, über Herzkrankheiten; übersetzt von Sprengel.

**) Kreisig, Krankheiten des Herzens. Berlin 1817. Bd. II

ctatione, quae in fine aneurismatis est, retardatur. Quare cordis polypi crystallisatione fibrinae nascuntur.

b) In degenerationibus cordis nutritio cordis qualitative et quantitative vitiosa existit, per quam cordis polypi in excrescentias mutantur.

IV. Hope cordis polypos praecipue tum conformari edocet, si sanguinis circulatio tarda sit; quid igitur est, cur etiam venaesectionibus et usu digitalis purpureae in carditide, ubi sanguis multam materiam plasticam continet, stagnationes sanguinis et inde polypos progigni posse negemus?

V. Negari non potest, iam exempla cordis polyporum esse descripta, ubi a solis cordis polypis, deficientibus omnibus inflammatoriis vel aliis letalium morborum causis, mors effecta est.

Itaque ex hisce omnibus sequitur, genesin polyporum ex carditide polyposa non existere; quare vir doctissimus, Prof. de Pommer in annotatione in „Medizin. Correspondenzblatt des württembergischen ärztlichen Vereins, Jahrgang 2, Nr. 2,“ omnes medicos adhortatus est, ut illam genesin impugnent. — Quando carditis aderat, e polypis, qui iam prius aderant, vel e medicamentis sanguinis circulationem tardiozem reddentibus, quorum ad carditidem removendam usus factus est, profecta esse videtur.

Iam supra autem diximus, alteram cordis polyporum genesin esse statuendam, quae quidem tum est, ubi illi per nutritionem quantitative et qualitative abnormem in excrescentias vertuntur, quod quidem iam Meckel attigit. Quae genesis hisce potest probari:

1) Cordis polypi plerumque sunt in senibus, decrepitis, cachexiis et dyscrasiis laborantibus hominibus, quippe in quibus sanguis quidem paucas tantum partes plasticas retinet ideoque etiam parvam proclivitatem ad coagulatio-

nem prodit, sed eo plura vestigia abnormis nutritionis, exerescentiis et exulcerationibus in externis partibus conspicuae, deprehenduntur.

2) Cordis polypi saepe conspiciuntur in degeneratis, ossificatis, itaque iam irregulariter nutritis cordibus. Quare haec polyporum genesis creberrima est et inter polypos ita progenitos praecipue polypi magis organici referendi esse videntur.

Ex hac igitur genesi secundarius, ex illa altera idiopathicus, primarius morbus cordis polypi apparent.

DIAGNOSIS, AETIOLOGIA, PROGNOSIS, THERAPIA CORDIS POLYPOREM.

Quum cordis polypi inter idiopathicos cordis morbos recte referantur, iis etiam certa symptomata, quibus cognoscantur, attribuenda erunt. Iam vero huius morbi, qui locum suum contra adversarios usque ad novissima tempora aegre tenuit, et qui omnino rarior est, symptomatologiam adhuc mancam et imperfectam esse, facile intelligitur.

Quae cordis polypis efficiuntur symptomata, in universum inde pendent, quod illi aut plus minusve cordis ventriculos explentes, aut eorum exitum periodice occludentes, sanguinis circulationem impediunt. De huius morbi diagnosi inprimis Wichmann et Laennek meriti sunt, e quorum observationibus symptomata morbi haec statuuntur.

Primum palpitatio cordis oriri solet, quae brevi quidem evanescit, sed serius ocuis aegroti vehemente motione, vel situ in sinistro latere, vel resupinando repetitur. Ceterum hoc symptoma valde incertum est, quare Knips-Makoppe*), qui multum sane ad cognoscendos cordis poly-

*) De aortae aneurismate et polypo cordis.

pos contulit, de eo animadvertit: „Cum vitium hoc inter
 „initia, imo grandius iam fatum, vix ulla sui vel commu-
 „nissima tantum cum ceteris morbis indicia praebat, a
 „quonam tempore prima polypi stamina fuerint exordita,
 „vix datur coniecturae locus.” — Quae quidem sympto-
 mata pro maiore vel minore incremento cordis polyporum
 pari modo perdurant, donec repente palpitatione cordis ad-
 augetur et respirandi difficultas accedit, quae tamen non-
 nisi dyspnœe est, quod aegroti, dolorem non sentientes,
 ab imo pectore spiritum ducere possunt. — Pulsus in hoc
 morbo irregulariter intermittere incipit. Qua de re Senae*)
 ita disserit: « Il arrive quelquefois, que les polypes sont
 „flottans et que leur surface est unie; il paraît donc que
 „de tels polypes, s'ils se formaient dans des corps vivans,
 „pourraient très-souvent changer de place, boucher les
 „grandes artères, s'opposer à l'entrée du sang dans les
 „ventricules et, par conséquent, déranger le pouls; reste
 „à savoir si ces conjectures sont confirmées par quelque
 „fait.” Aequo modo Corvisart palpitationes tunc vehe-
 menter exorientes, quae tantae sunt, ut lipothymia inde
 efficiatur, explicat dicens: „Bouchant alors en partie ou
 „en totalité le diamètre de ces ouvertures, ils occasion-
 „nent des palpitations, de lipothymies, qui ne sont le plus
 „souvent que passagères, parce qu'elles cessent au mo-
 „ment même où ces concrétions abandonnent les orifices
 „qu'elles oblitéraient, pour flotter comme auparavant et
 „plus ou moins librement, selon étendue de leur implan-
 „tation, aux parois du coeur dans l'intérieur de la cavité
 „qui les renferme.”

Cum palpitationibus et intermittente pulsu anxietas

*) Traite de la structure du coeur, de son action et de ses
 maladies. Tom. II.

mortis vehementissima coniuncta est, ita, ut aegroti, licet in omnes partes iacentur et quocunque modo recubent, tamen non bene se habeant. Inter hos anxietatis impetus extremitates plerumque plane frigidae fiunt; facies contra tumida et livida; saepe totum corpus tenace sudore obducitur. Noctes inquiete transiguntur et aegroti somniis gravibus turbantur. Paroxysmus, qui nunc plerumque noctu, rarius interdiu, nulla causa efficiente, fit, plerumque lipothymia finitur.

Tum aegrotus paullulo quidem melius se habet; sed non solum inter paroxysmos, verum etiam in liberis intervallis motus cordis valde irregulares sunt, pulsus intermittit et quoad vim varius est, ita ut nunc unus ictus plenus, nunc duo iterum parvi sint etc. Libera intervalla rariora usque fiunt; paroxysmi non solum frequentiores, sed etiam diutius durantes et vehementiores, ubi vel leniter aegrotus se movet, repetuntur. Tandem plerumque aegrotus tali paroxysmo inter terribiles mortis angores paullatim occumbit.

Diagnosis. Morbus cordis polyporum prae omnibus aliis morbis insignis est, quod verus dolor deficit, quod lenes ab initio sunt palpitationes paroxysmos efficientes, quod atrocissimi anxietatis impetus existunt, brevi sine omni causa orientes, quod palpitationes cordis postea semper plus minusve vehementes, quae praetereunte lipothymia finiuntur, permanent, denique quod pulsus est admodum irregularis et intermittens.

Aetologia. Ex iis, quae supra diximus, duae cordis polyporum diversae geneses, quibus varia momenta causalia subsunt, statui possunt. Alterius, quae e crystallisatione fibrinae oritur, *interna momenta* sunt aut impedimenta in circulatione sanguinis a coarctationibus in cordis ventriculis vel in eorum orificiis effecta, aut nimia

sanguinis plasticitas. *Causae occasionales* sunt: a) venae sectiones, quibus liquidae sanguinis partes detrahuntur et substantiae facile coagulantes remanent; b) pharmaceutica medicamenta ea, quae sanguinis circulationem tardam reddunt, e. c. Digitalis purpurea, Aconitum napellus, Colchicum autumnale et praecipue Nauseosa etc. Fortasse etiam huc referendae sunt animi perturbationes deprimentes.

Quoad alteram genesin variae dyscrasiae et omnes morbi, in quibus diathesis fungosa praevallet, cordis polypus procreant.

Prognosis. Ea admodum infausta est. Etenim cordis polypus adhuc semper morte, sanguinis circulationis retardatione adducta, finiti sunt. Caeterum prognosin constituitur: a) *e sede* cordis polyporum, qui quo longius a valvulis et orificiis cordis distant, eo faustior prognosin est; libere natantium (végétations globulaires) faustior quam adhaerentium prognosin est; polyporum in atriis cordis minus fausta, quam eorum, qui in ventriculis sunt, prognosin esse dicitur; b) *e magnitudine et numero* eorum, ita quidem, ut, quo minores et pauciores sunt, eo faustior sit prognosin; c) *ex genesi* polyporum cordis; si polypus sunt excrescentiae a dyscrasiis ob universalem morbum cum iis coniunctum profectae, infaustiores, quam ii, qui e crystallisatione sanguinis prodierunt, prognosin statuunt.

Therapia. Iam e prognosi apparet, prosperos curationis cordis polyporum minimos esse, quippe quibus mors tantum paulisper amoveatur. Qua de re Fr. Hoffmann „morbus, dicit, curatu difficillimus, cui etiam manus haud „libenter admovere soleo.” Quae adhiberi possunt remedia sunt: quietus isque frigidulus aegroti habitus, severa diacta; in cordis polypis e crystallisatione sanguinis ortis intus magis refrigerantia et purgantia remedia, et extrinsecus

derivatio per sinapismos et vesicantia. Inter paroxysmos exiguae venaesectiones praestantissimum auxilium praebent. In polypis e dyscrasiis ortis contra dyscrasiam anitendum et paroxysmo simili modo derivatione per externa cutis irritamenta et parvas venaesectiones cœercendo studendum est.

Caeterum cordis polypi in universum raro observantur, ita ut in Nosocomeo Turicensi, quamquam in his regionibus cordis morbi, praesertim cordis hypertrophiae, frequentissimi imo endemici sunt, nullum adhuc illius exemplum occurrerit.

THESES DEFENDENDAE.

- I. Anni non faciunt medicum.
 - II. Crines dentesque non regenerantur.
 - III. Haemorrhoides et podagra sunt geminae, quarum mater systema portarum.
 - IV. Origo corporis caloris ignota est.
 - V. Systemata artificialia manca sunt, ergo reiicienda.
 - VI. Homo semper aegrotus.
 - VII. Combustio putredo.
 - VIII. Typus intermittens non est.
 - IX. Remedia aut augent aut minuunt secreciones.
 - X. Adstringens optimum inflammatio.
-